BEDA VENERABILIS
12. Jh. Seite 41r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26004
Copyright: Admont, Benediktinerstift



relinquit. Et quia sic ecclesiastes ait. oritur sol & occidit. & in locum
suum reuertitur. ibique renascens gyrat per meridiem & flectitur ad aquilonem.
necesse est circuiens orientalibus quibusque prius quam occidentalibus sub eadem
linea positis. mane. meridiem. uesperam. adducat. eiusdem tamen longitudinis
dies utrisque toto anno sicut & noctes faciat. Item necesse est omnibus sub aquilo
nis & austri plaga contra inuicem in eadem linea positis per totum anni uer
tentis circuitum uno eodemque temporis puncto sol medium celi conscen
dat igneus orbe. Nec tamen eodem utrisque puncto uel hora oriatur aut
occidat. sed cum plagam austri circuiens hibno tempore peruehitur. eos qui
meridianum terre latus inhabitant ante oriens adiit. sed seriis di
mittit occidens. quam nos qui ad septentrionem positi globo terrarum ob
stante. tardius eius ortum. sed citius sortimur occasum. At contra idem in estiuo
degens circulo multo nobis qui sub eodem habitamus ante ortus apparet.
multo diutius uidetur occasurus quam eis qui in meridiano terre sinu
conuersati & prius illum eiusdem terre obiectu cernere uetantur. & prius ocius
amittere coguntur. idoque illi breuiores nobis dies estate. longio
res habent in hieme. Quod non de solari gyro tantummodo. sed de stellarum
quoque omnium sub diuersis poli plagis currentium potest situ cognos
ci. Eadem quippe facit terre rotunditas ut non nulla etiam clarissima
australis sydera climatis numquam pareant. Contra nostra septen
trionalia. illis non parua ex parte celentur. Denique ipsos septen
triones qui nobis super uerticem ascendunt neque occidunt umquam.
non cernit trogo dytice & confinis egyptus. Porro ipsorum sydus
per maximum & dei quondam nomine cultum. non solum nos brittanni.
sed ne italia quidem potest uidere canopum. non quia lux stellarum lon
ginquioribus paulatim mirando subtrahitur & deficit. sed quia terre
moles opposita. spacium precludit aspectandi. Que cuncta demon
te quolibet pergrandi undique circumhabitato ualent fa
cillime probari. Quibus in locis pares sint hore uel dies.

Et quia super distantiam dierum solsticialium inter eos qui ad